



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi Opusculum Asceticum Posthumum**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1643**

33. De Deo vt est Zelotes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46564)

Benedicite, laudate & superexalta-  
te illum in sæcula, quia fecit no-  
biscum misericordiam suam. Lau-  
dent illum celi, terra, mare, & om-  
nia qua in eis sunt, laudent & super-  
exaltent in sæcula. Illi honor, illi  
benedictio, illi gratiarum actio ab  
omni creatura, in omni loco domi-  
nationis eius, in omnes generationes  
sæculi sæculorum. Amen.

CONSIDERATIO XXXIII.

*De Deo ut est Zelotes.*

**Z**elus aliquando significat  
ardentem amorē alicuius;  
aliquando indignationem  
aduersus id quod rei ama-  
tæ est noxium; & eius amotionem,  
& destructionem. Deus itaque  
dicitur *Zelotes*. i. quia cum summè  
amet se & gloriã suam, grauissimè  
commouetur & indignatur contra  
eos qui peccando ipsum contem-

nunt, & maximè qui ipsius gloriam ad idola transferunt. Vnde Exod. 20. Cum vetuisset Deos alienos, subdit; *Ego sum Dominus Deus tuus Fortis, Zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Et cap. 34. *Noli adorare Deum alienum. Dominus Zelotes nomen eius.*

2. Quatenus indignatur, & amoliri studet ea quæ impediunt salutem animarum, quas tanquã sponsas suas & filias amat, quarum salutem summoperè desiderat.

3. Quatenus sicut maritus Zelotypus indignatur contra animas sibi addictas, si aliquid aliud præter ipsum nõ propter ipsum ament, si rebus huius seculi delectentur, si ipsi in omnibus placere non studeant.